



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **S. Avrel. Avgvstini Confessionvm Libri X**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae, 1646**

Cap. XIV. Latos nos tristitiæ, aliorumque affectuum meminisse, nec tamen eorum perturbationem sentire.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10120**

## C A P. · XIV.

*Latos nos tristitiæ, aliorumque affectuum meminisse, nec tamen eorum perturbationem sentire.*

I. **Q**uod mirandum non est de corpore, aliud enim animus, aliud corpus. Itaque, si præteritum dolorem corporis gaudens memini, non ita mirum est. Hic vero *a* cum animus sit etiam ipsa memoria. Nam & cum mandamus aliquid, ut memoriter habeatur, dicimus: vide, ut illud in animo habeas. Et cum obliviscimur, dicimus: fuit in animo, & elapsum est animo, ipsam memoriam vocantes animum. Cum ergo ita sit, quid est hoc, quod cum tristitiam meam præteritam lætus memini, animus habet lætitiā, & memoria tristitiā: lætusque est animus, ex eo quod inest ei lætitiā, memoria vero, ex eo quod inest ei tristitiā, tristis non est? Num forte non pertinet ad animum? Quis hoc dixerit? Nimirum ergo memoria, *b* quasi venter est animi, lætitiā vero atque tristitiā, quasi cibus dulcis & amarus, cum memoriæ commendantur, quasi trajecta in ventrem, recondi illic possunt, sapere non possunt. Ridiculum est hæc illis similia putare, nec tamen sunt omnimodo dissimilia.

2. Sed ecce de memoria profero cum dico quatuor esse perturbationes animi, cupiditatem, lætitiā, metum, tristitiā, & quicquid de his disputare potuero: dividendo singula per species sui cujusque generis,  
&

& definiendo. Ibi inuenio quid dicam, atque inde profero: nec tamen ulla earum perturbatione perturbor, cum eas reminiscendo commemoro, & antequam recoleantur à me & retractarentur, ibi erant, propterea inde per recordationē potuere depromi. Forte ergo, sicut de ventre cibus ruminando, sic ista de memoria recordando proferuntur. Cur igitur in ore cogitationis non sentitur à disputante, hoc est, à reminiscente, lætitiæ dulcedo vel amaritudo mœstitiæ? An in hoc dissimile est, quod non undique simile est? Quis enim talia volens loqueretur, quoties tristitiam metumve nominamus, toties mœrere vel timere cogeremur? Et tamen non ea loqueremur, nisi in memoria nostrā, non tantum sonos nominum secundum imagines impressas sensibus corporis, sed etiam rerum ipsarum notiones inueniremus, quas nulla janua carnis accepimus: sed eas ipse animus per experientiam passionum suarum sentiens, memoriæ commendavit, aut ipsa sibi hæc etiam non commendata retinuit.

## N O T Æ.

a *Cum animus sit ipsa etiam memoria*) Sentit S. D. potentias realiter ab anima non distingui, ut alibi clare docet. Quam sententiam SS. Patrum esse communem alibi ostendimus. lib. 9. de Tri. c. 11.

b *Quasi venter est animi*) Plato quoque memoriam stomachum animi vocavit. Etsi vero hæc S. D. similitudo rem aliquo modo declarat, non satis tamen similis est, ut ipse fatetur. Meminimus itaque læti tristitiæ præteritæ, quia tristitia est dolor animi de malo presenti, quod, si jam præteritum est, dolorem non affert. Neque tristitia aliæque perturbationes, quarum meminimus, per seipsas, sed solum per suas imagines animo obver-

obversantur : imagines autem contrariorum affectuum non sibi repugnant, sed ipsi affectus. Ita picta aqua non extinguit ignem, nec ignis pictus calefacit.

## C A P. XV.

*Affectus passionesque animi imaginem sui in memoria relinquere.*

1. **S**ed utrum per imagines, an non, quis facile dixerit? Nomino quippe lapidem, nomino solem, cum res ipsæ non adsunt sensibus meis, in memoria sane mea præsto sunt imagines earum. Nomino dolorem corporis, nec mihi adest, dum nihil dolet. Nisi tamen adesset imago ejus in memoria mea, nescirem, quid dicerem, nec eum in disputando, à voluptate discernerem.

2. Nomino salutem corporis, cum salvus sum corpore; adest mihi quidem res ipsa: veruntamen nisi & imago ejus inesset in memoria mea, nullo modo recordarer, quid hujus nominis significaret sonus. Nec agrotantes agnoscerent salute nominata, quid esset dictum, nisi eadem imago vi memoriæ teneretur, quamvis ipsa res abesset à corpore. Nomino numeros, quibus numeramus: & adsunt in memoria mea, non imagines eorum, sed ipsi. Nomino imaginem solis, & hæc adest in memoria mea. Neque enim imaginem imaginis ejus, sed ipsam recolo, ipsa mihi reminiscenti præsto est. Nomino memoriam, & agnosco, quod nomino. Et ubi agnosco, nisi in ipsa memoria? Num & ipsa per imaginem suam sibi adest, ac non per seipsam?

N O-